



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

XVII. Vt nullus laicus in ecclesia sepeliatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

dus mos iniquus subrepsit sepulturam mortuis de-  
 bitam sub precio vendere, & gratiam Dei vena-  
 lem facere: cum hoc nusquam sub euangelica gra-  
 tia meminerimus nos inuenisse vel legisse. In Eccle-  
 siastico namque libro scriptum est: *Mortuo non pro-*  
*hibeas gratiam, sciens quia omnes moriemur.* Et item:  
*Omnia quæ de terra sunt, in terram conuertuntur.* Quid  
 terra terram vendis? memento quoniam terra es, &  
 in terram ibis, & quoniam mors tibi futura est, ap-  
 propriat & non tardat. Recordare quoniam non  
 hominis est terra, sed vt Psalmista commemorat:  
*Domini est terra, & qui habitant in ea.* Si terram ven-  
 dis, inuasiõne alienæ rei reus teneberis. Gratis acce-  
 pisti a Deo, gratis da pro eo. Quare interdictum  
 fit omnibus omnino Christianis, terram mortuis  
 vendere, & debitam sepulturam denegare. Nisi for-  
 te proximi, & amici defuncti, propter nomen Do-  
 mini & redemptionem animæ viri, gratis aliquid  
 donare velint.

## XVII.

Secundum statuta sanctorum patrum, & expe-  
 rimenta miraculorum, prohibemus & præcipimus,  
 vt deinceps nullus laicus in ecclesia sepeliatur. Qui-  
 dam mirabilis doctor nostræ diffinitioni consen-  
 tiens, inquit: Nemo enim in ecclesia sepeliatur,  
 nisi forte talis sit persona sacerdotis, aut cuiuslibet  
 iusti hominis, qui per vitæ meritum, talem viuen-  
 do suo corpori defuncto locum acquisiuit. Corpo-  
 ra antiquitus in ecclesia sepulta, nequaquam proii-  
 ciantur, sed pauimento desuper factõ, nullo tu-  
 mulorum vestigio apparente, ecclesiæ reuerentia



ANNO  
 CHRISTI  
 895.

conferuetur. Vbi vero hoc præ multitudine cada-  
 uerum difficile sit facere, locus ille cœmeterium &  
 polyandrium habeatur, ablato inde altari, & con-  
 stituto vbi religiose sacrificium Deo valeat offerri.  
 Beatus Gregorius in miraculis patrum memoria di-  
 gnum, & huic rei congruum refert miraculum in  
 Genuensi vrbe contigisse. Ibi namque quidam Va-  
 lentius nomine, Mediolanensis ecclesiæ defensor,  
 defunctus est, cuius corpus in ecclesia beati mar-  
 tyris Syri sepultum est. Nocte autem media in ea-  
 dem ecclesia factæ sunt voces, ac si quis violenter  
 ex ea repelleretur atque traheretur foras. Ad quas  
 nimirum voces cucurrere custodes, & videre duos  
 quosdam teterrimos spiritus, qui eiusdem Valen-  
 tii pedes cum ligatura constrinxerant, & eum ab  
 ecclesia clamantem, ac nimium vociferantem fo-  
 ras trahebant. Qui videlicet exterriti, ad sua stra-  
 ta reuersi sunt. Mane autem facto, aperientes se-  
 pulcrum, vbi idem Valentius positus fuerat, eius  
 corpus non inuenerunt. Cumque extra ecclesiam  
 quærerent vbi proiectum esset, inuenerunt hoc  
 in sepulcro alio positum, ligatis adhuc pedibus,  
 sicut de ecclesia fuerat abiectum. Ex qua re col-  
 ligendum est, quia hi quos peccata grauia depri-  
 munt, si in sacro loco sepeliri se faciunt, restat vt  
 etiam de sua præsumptione iudicentur, quatenus  
 eos sacra loca non liberent, sed etiam culpa teme-  
 ritatis accuset. Quid igitur sacra loca sepultis pro-  
 sunt, quando hi qui indigni sunt ab eisdem sa-  
 cris locis diuinitus proiiciuntur? Sancta Synodus  
 dixit: Mira res, & multis expauescenda. Ideoque

Lib. 4. dia-  
 logorum  
 cap. 53.

Quiddam  
 ex Gregorio  
 mirum val-  
 de.

Impiis sacra  
 loca nihil  
 conferunt.



per futura temporum curricula ab omnibus obser-  
uanda.

ANNO  
CHRISTI  
891.

## XVIII.

De confec.  
dist. 1. Vasa  
in quibus  
sacrosancta.

Vasa in quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt & patenæ. De quibus Bonifacius martyr & episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit: Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur, nunc econtra lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus. Zephyrinus decimus sextus Romanus episcopus, patenis vitreis Missas celebrari constituit. Tum deinde Urbanus decimus octauus papa, omnia ministeria sacra fecit argentea. In hoc enim, sicut & in reliquis cultibus, magis & magis per incrementa temporum decus succreuit ecclesiarum. Nostris enim diebus, qui serui patris familias sumus, ne decus matris ecclesiæ imminuatur, sed magis cumuletur & amplificetur: statuimus, ut deinceps nullus sacerdos sacrum mysterium corporis & sanguinis Iesu Christi Domini nostri in ligneis vasculis vlllo modo conficere præsumat, ne vnde placari debet, inde irascatur Deus.

## XIX.

Ioan. 19.

Apoc. 17.

Alexander successor Euaristi dixit: Non debet enim, ut a patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum, quia vtrumque ex latere eius profluxit: Ut videlicet per hoc indicet populos, qui secundum Ioannem aquæ sunt, a Christo, cuius sanguis in calice est, diuidi non debere. Cuius rei veritatem in hac sancta Synodo

con-